

Johann Christian Petersen

Programma Funebre, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Johannes Christianus Petersen, U.J.D. & Cod. Prof. Publ. Ordin. Ad Eundum Exeqvias ... Annæ Emerentiæ Schwartz, Viduæ Viri ... Dn. Joannis Zeidleri, Phil. & Theol. D. Celeberrimi, ad ædem D. Petri Pastoris & Rev. Minist. Rostoch. Directoris, de Eccelsia longe optime meriti, hodie ... paratas, O.O.O. Cives Academicos studiose officiosissimeque convocat & invitat

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1729?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1797668420>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Privatrecht-Programme,
meist Fideikommiss in dortigen bürgerl. Familien betr.

(Zinsverträge in nobilitierten Familien:


Nettelbladt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
i. d. R.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9
Hain.
1833.





Handwritten text on the right edge of the page, including numbers 1 through 34, likely serving as a table of contents or index.


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Isabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoeppfer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



PROGRAMMA FUNEBRE,

QVO

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,

JOHANNES CHRISTIANUS

Petersen,

U. J. D. & Cod. Prof. Publ. Ordin.

AD EUNDUM EXEQVIAS,

MATRONÆ PRÆ-NOBILISSIMÆ, OMNIQVE
SEXUS SUI DECORE ORNATISSIMÆ,

ANNÆ EMERENTIÆ

Schwarzen,

VIDUÆ

VIRI SUMME REV. QVONDAM ATQVE AMPLISSIMI,
JAM BEATI,

DN. JOANNIS ZEIDLERI,

Phil. & Theol. D. Celeberrimi, ad ædem D. Petri
Pastoris & Rev. Minist. Rostoch. Directoris, de Ecclesia
longe optimè meriti,

hodie,

qua Christianos decet solennitate,
paratas,

O. O. O. CIVES ACADEMICOS

studiose officiosissimeque
convocat & invitat.

R O S T O C H I I,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



Ic igitur novum hodie nobis fragilitatis humanæ fistitur exemplum, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! novamque mortalitatem nostram & vitæ præsentis fugacitatem meditandi nanciscimur occasionem. Vix enim, & ne vix quidem, unius effluxit mensis spatium, cum lectissimæ & ætatis adolescentiam vix ingressæ Virginis funus Vobis indicendum erat, & hodie jam iterum Matronæ, eorum, qui robur alioquin ætatis humanæ sustinere atque referre æstimantur, annorum, parentandum nobis est. Illam à se probe jam educatam lugebant moesti Parentes; hanc se adhuc educaturam deflet desideratque lachrymabunda proles. Illius exequias sub exitum anni superioris ivimus; hujus sub auspiciam inchoantis funus efferendum est. Ita nec ætati mortem parcere, nec tempus ullum privilegio exemptionis à mortalitate gaudere, docemur. Quæ itaque sic animo proponenda, ut & ipsi nos vasa mature colligere discamus, ac ad abitum ex vita hac nos tempestivè præparemus, quam adeò incertam, caducam, vanam toties experimur esse. Quisquis inevitabilia sibi non solum exspectat, verùm & obviam illis quasi procedit, eum & prudenter & cautè agere, judicare solemus. Quidnî proinde mortem nostram quotidie meditaremur, ita viventes, ut nullo nos tempore imparatos eadem offendat? Certè, sapientissimi quique mortalium quolibet tempore, non in Populo DEI tantum, ut exemplis Divinarum Scripturarum Codex compluribus probat, sed inter Gentiles etiam, ceu Scripta eorum magno numero testantur, summæ sibi sapientiæ duxerunt, si mortalitatis memores existerent, & è mundo emigrationis quodlibet postremum adesse momentum arbitarentur. Etenim non omne, quod est hominis, cum hac vitâ finiri, vel solâ ratione, spiritualem animæ essentiam demonstrante, cognosci potest, & Sacer Codex insuper, corpora hæc olim resuscitatum iri, docet. Quemadmodum igitur hinc decedentes vel fideles sunt, vel infideles; ita hos infernus exspectat, isti verò coelum ingredien-

gredientur. Aut si rationem sibi relictam, quæ fidem & illius objectum, Christum, ignorat, audire velimus, qui abeunt è mundo, vel improbam heic vitam duxerunt, vel probitatis existere studiosi. Utrisque suum etiam ratio locum assignat, istis quidem exitum, his gaudium æternum, istis damnationem, his beatitudinem adjudicando. Cum itaque salvari cupimus omnes, facile intelligere datur, ita nos semper vivere oportere, ut ne mors, naturali viâ corpora privans, privet animam quoque vitâ beatâ. Felices igitur eos, qui mortis non immemores sic vivunt, ut evocantem eam quocunque tempore sequi parati lubentesque possint. Id quod verò non auis contingit, quam, qui verâ cordis fiducia Salvatori suo, extra quem & sine quo salus sperari nequit, *Act. IV. 12.* constanter adhærent, nec fidem in ore solum gerunt, sed operibus etiam demonstrant, sanctimoniam vitæ, sine qua nemo Dominum videbit, *Ebr. XII. 14.* quantum fieri potest, ope Spiritus sancti, operam navantes. Id qui sollicitè in mortali hac suâ vitâ observant, non habent, cur mortis reformident nomen, ut quam norunt finem omnium vitæ mundanæ miseriarum sibi fore, & initium beatæ vitæ nunquam unquam finiendæ. Quibus cum moriuntur, tantum abest ut illorum abitum prolixè nimis dolendi causam nanciscamur, ut potius mortem illis, quam etiam superstitibus luctuosa sit, gratulari æquum sit, ac statui, ad quem pervenere, beato convenientius.

Atque talem, quam, contestante Verbo veritatis, beatam insequi, diximus, mortem, vitam heic egit, cujus exuvias hodie communi, ex iententia divinâ, *Gen. III. 19.* corporum nostrorum vita functorum receptaculo, Christiano ritu, commissuri sumus, Matrona Præ-Nobilissima, pietatis, omniumque sexum fœmineum condecensium & exornantium virtutum laude, dum viveret, splendidissima, ANNA EMERENTIA, conjugio, ZEIDLERIA; nativitate, Schwarzen. Cujus memoriam dum posteritati sermone parentali commendaturi sumus, haud facile, quod ejus in laudem vergere queat, dicturi, nimium dicere poterimus. Quod enim Boasus ille de Rutha, affine suâ, quondam, *Ruth. III. 8.* pronunciavit: *Novit tota porta populi mei, quod femina egregia tu;* vel ex versione Lutheri: *Die ganze Stadt meines Volcks weiß, daß du ein tugendsam Weib bist;* id de BEATA NOSTRA, propitiâ veritate, nos affirmare posse, nulla nobis ambigendi causa superest. Nam ad universam hanc Civitatem, & quotquot eam inhabitant, nihil ita nos præter veritatem, nihil ultra modum, effari, tuto secureque provocare licet. Quamobrem, quis primus virtutum in illa fons, qualis ejusdem ad tantam earum laudem progressus fuerit, quantaque vivens earum exhibuerit documenta, quanta ejus in illis, ad beatam è vitâ emigrationem usque, deprehensa constantia sit, qua fieri poterit sermonis brevitate, heic exponemus, nullum verborum ornatum affectaturi, cum vel sola virtutum, quæ in Beata Matrona illustri jubare effulserunt, commemoratio plus satis iisdem elegantiam sit commodatura.

Non equidem, à virtuosis Parentibus liberos virtuti deditos prognasci, ordinarium ac universale quid est, experientiam haud rarò contrarium docente. Nec natale solum, ut virtutum nobis connascatur amor & studium, efficere valet. Utrumque tamen haud parum efficaciam habere ad ingenerandam animis virtutem, abs nemine negatum

tum iri, prorsus persuasum mihi habeo, siquidem & Parentes præceptis, & locus exemplis animos instruere possunt. Quæ sicubi ad naturæ bonitatem accedunt, nativam ad virtutem inclinationem in animis offendunt, non possunt inde, nisi præclari, per omnem vitam se diffundentes, effectus sperari. Et cuncta hæc in Beatam largam Cœli manu collata fuisse, deprehendimus. Locum quippe nativitatis Ei contigisse, novimus, Stralsundiam, munimentis non magis, ac mercaturæ flore politisque habitatorum moribus inclytam Pomeraniæ Svecicæ urbem, quæ Anno MDCXCII. die 26. Junii mensis nascentem ulnis excepit, ut ne quid ad eximiæ indolis formationem ac educationem liberaliorem elegantioremq; necessarium defuturum esset. *Genitorem*, at in mundo nunquam à se oculis conspectum, nacta menteque venerata fuit Virum Præ-Nobiliss. Consultiss. ac Prudentiss. DN. GEORGIUM Schwarzen, J. U. D. & modo laudatæ Civitatis Syndicum Dextrimum, nec non Consistorii Ecclesiastici Directorem Gravissimum, cui annus Filiæ Natalis, Emortualis contigit, siquidem eodem ipso, altero ab illo, quo ascensionis Christi in cœlos memoriam Ecclesia publice recoluerat, die obiit, animâ in cœlum à præeunte Salvatore recepta. Qui Viri obitus eò magis, respectu Familiæ quidem, deplorandus, quod Nostra lucem nondum adspexerat, integro demum abinde mense præterlapso edita, ut adeò per ipsam posthumerum numerus sit auctus. *Genitricem* verò osculata fuit Matronam Præ-Nobiliss. magnarumque virtutum laude florentissimam, MARIAM ELISABETHAM GERDESIAM, cujus in hanc Natam suam amoris affectus tantò tenerior, quantò crebrius ejus adspæctus memoriam Mariti suidefideratissimi refricabat, donec eundem postremo mensis Februarii die Anni MDCCXII. in vitam hac meliorem sequeretur. *Avus Paternus* Beatæ Nostræ contigerat Nobiliss. atque Prudentiss. Vir, DN. JOACHIMUS Schwarz, Gryphiswaldensium publica de re præclare meritis Senator, ut & ædis sacre D. Jacobo quondam dicatæ Provisor integerrimus. *Avia Paterna* fuit, DEO devotissima, virtutumque laudibus præstantissima GERTRUDIS Schwarzen. *Proavus* paternus, priori quidem in linea, existit Præ-Nobiliss. Ampliss. ac Prudentiss. DN. CHRISTIANUS Schwarz, Serenissimorum olim Pomeraniæ Ducum Consiliarius Provincialis ac Consul Primarius Gryphiswaldensis, meritorum in Patriam famâ celebratissimus. Qui matrimonio sibi junctam *Proaviam* Nostræ dederat REGINAM VOLSCHOVIAM, Matronam, cui, quod sexum istum vel decet vel exornat, nihil defuit quidquam. Posterioris autem lineæ *Proavum* paternum ei percepimus fuisse Virum Nobiliss. ac Prudentiss. Dn. CARSTEN Schwarz, itidem Senatus Gryphiswaldensis Membrum Spectabilissimum. Cujus quidem Conjug, Nostræ vero *Proavia* fuit Foemina Honestissima Laudatissimaque, ILSABE ENGELBRECHTIA. Ad maternam Defunctæ lineam nos convertentibus non minorum sive meritorum sive nominum in eadem illius Progenitores offendere licet. *Avum* quippe *Maternum* salutavit Virum Præ-Nobiliss. Consultiss. & Excellentiss. Dn. FRIDERICUM GERDESIUM, J. U. D. & in Celeberrima Academia Gryphica Professore Primario Famigeratissimum, Regique Consistorii Directorem Gravissimum, cujus, post fata quoque, in Filiis reviviscens, fama volat per ora virum. *Aviam* nacta Præ-Nobiliss.

Nobiliff. & ornatu matronalium virtutum exornatiffimam, ANNAM ERICHEN. Hinc *Proavus* Ei, superiori quidem in linea, fuit Præ-Nobiliff. Consultiff. ac Prudentiff. Vir, DN. HENNINGUS GERDESIUS, U. J. D. Consul simulque Syndicus Gryphiswaldensium, de publico patriæ Civitatis bono cum immortalis Nominis gloria longe optime promeritus. Et *Proavia* ejusdem lineæ, mafcularum virtutum Matrona, ELISABETHA MEVIUSSEN, immortalis nominis & famæ Jcti, DAVID. MEVII, Regii Tribunalis, quod Wismariæ floret, quondam Vice-Præfidis, germana Soror. In fequiori, per Aviam, linea *Proavum* Nostræ deprehendimus exstitiffe Virum Præ-Nobiliff. Consultiff. atque Excellentiff. DN. JOACHIMUM ERICHUM, J. U. D. & in prælaudata Pomeranorum Univerfitate Prof. Publ. Celeberrimum, qui conjugio Defunctæ *Proaviam* conciliaverat, virtutum propriarum splendore non minus ac generis nobilitate coruscant, MARIAM BOSTENBÖSTELS.

Tam splendida, ab utrâque parte, Familia prognafci dum piè Defunctæ Matronæ contigerat, quis non conjiceret, optimam illi, unâ cum fanguine, indolem à tot virtutum laudibus conspicuis Progenitoribus implantatam fuiſſe? At quoniam ad bonum congenita vel naturalis inclinatio haud ſola, quippe quam innumera in mundo mala corrumpere ac pervertere poſſunt, virtuoſos efficere valet, niſi divina acceſſerit gratia, ſollicitaque educatio: Hinc, qua erat prudentia, Mater hanc recens ex ſe natam gratiæ divinæ offerri ac commendari voluit. Poſtridie namque diei natalis ſacratiffimo Baptiſmi lavacro eam regenerari curavit, quò, adoptata à Patre coeleſti, ſalutis æternæ hæreditatem conſequendi jus nanciſceretur, & omnium Eccleſiæ divinitus conſeſſorum gratiæ privilegiorum redderetur particeps, ſicque Parente terreno orbata coeleſtis æterni Patris tutelæ providentiæque committeretur. Creſcentibus paulatim annis, eò majorem illius educationi ſollicitudinem impendebat, quò ſolet ardentior eſſe in poſthumos Matrum affectus. Primam præcipuamque curam adhibuit, ut ab infantia ſtatim animo teneriori ſincerus divini Numinis amor timorque filialis inſtillaretur, id quod eum in Beata habuit effectum, ut per omnem vitam veræ pietatis aliis ſeſe præbuerit imitandum exemplum. Poſtmodum & moribus bonis ſexum iſtum condecorantibus, & aliis eam commendanti humanitati ut aſſuefieret, cura materna præſtitit, quò & hominum ſibi animos conciliare favoremque promereri poſſet. Id quod Defuncta, quoaduſque vixit, non mentis ſolum gratitudine agnovit, verum etiam deprædicavit. Idque merito, ſiquidem inde obtinuerat, quod ipſa perſonam ſuam in quolibet, in quo divinâ ex voluntate vixit, ſtatu decenter ac laudabiliter agere potuerit. Veriffimè quippè de eâ affirmare licet, nihil uſpiam virtutis, quæ vel Virginem, vel Uxorem, vel Viduam commendare poteſt, illi deſuiſſe. Nihil inveniri laudis, iſti ſexui convenientis, quin qualibet ætatis ſuæ periodo vitæque ſtatu quocunque adepta fuerit ipſum.

Tantus, queis præpollebat, virtutum nitor omnium in illam oculos convertebat, cunctorum ei conciliabat exiſtimationem, & materiam laudum ſingulis præbebat. Quibus permotus Vir Summe Reverendus quondam atque Ampliff. DN. JOANNES ZEIDLERUS,
B S, S. Theol,

S. S. Theol. & Phil. D. Celeberrimus, Concionis Petrinæ Pastor Religiosissimus, ut & Rev. Minist. Rostoch. Director longè meritissimus, cum, mortè ablatâ priori suâ conjugè, Laudatissimâ post fata quoque SCHRÖDERIA, peracto vidui status triennio, de secundis votis cogitationes concepisset, haud melius sibi Domuique suæ consultum iri, quam si eam Conjugem reciperet, ratus fuit. Ut enim ipse Vir erat DEO devotissimus, cujus ex actionibus & sermonibus omnibus non fucata pietas, candor & integritas mentis elucebant; ita non nisi similibus virtutibus pollentem sibimet jungi optabat, DEUmque precatus erat. Qualem igitur cum à teneris SCHWARTZIAM cognovisset, amorem illi conjugalem obtulit, DEOque, primo conjugii Auctore, dirigente, consensu Propinquorum factum est, ut eidem desponsata, interveniente sacerdotali benedictione, matrimonii vinculo conjungeretur. Sic Anno MDCCXVI. dulci Patriâ relictâ, carissimum Maritum sequens, Rostochio nostro concessa dataque fuit, eam ubique se gerens inter nos, ut summis, imis placeret, omnibus grata acceptaque. Felicem in eo se prædicabat, quod nupta marito, quem tenerrimo se amore prosequi intelligebat: unde nec quidquam occasionis prætermisit istius animum sibi magis magisque devinciendi. Nulla alia in re magis allaboravit, quam ad ejus suos ut componeret mores, quò nemini unquam offendiculo foret, sed potius verum se matronalium virtutum præberet exemplum, suâque vitâ vivendi regulam exprimeret. Quas è conjugio priori Beatus maritus filias susceperat, ita habuit, ut non Novercam eam agnoscerent, sed Matrem complecterentur, diligerent, venerarentur. Quapropter & præmaturum illius obitum tantò nunc acerbius lugent, etiam post fata gratias illi pro impensâ in se sedulâ curâ maximas habentes. Sed nec ipsa Beata sterile cum ZEIDLERO suo conjugium transegit, quin DEUS & hanc illi benedictionem sit impertitus, ut lectissimam ex eo liberorum trigam susciperet: JOHANNEM, MARIAM ELISABETHAM, & JOHANNEM GEORGIUM, quorum *iste* Anno seculi nostri XIIII. d. 5. Febr. *illa* Anno XIX. d. 14 Martii, *hic* Anno XXI. d. 20. Febr. mundum ingressi, ita vero, ut Primogenitus, posteaquam vix annum heic vivendo compleverat, à DEO sursum reciperetur. Superstes autem biga, quam insita sibi pietate Beata ZEIDLERIA in timore Domini educari ac ad omne virtutum genus duci sollicitum curavit, tum operam ipsa omnem adhibuit, quæ DEI deprædicanda gratia est, magnam de se spem præbet, fore, ut Parentes sit imitatura. Cui, utroque jam Parente, intra biennii spatium, orbata, ut Parentum loco sit, qui est omnium Pater, DEUS O. M. toto pectore precor, voveoque. Ceterum, Beata Nostra, quæ illam in vitâ man ferant, adversorum omnium hoc maximum ducebat, quod Mariti, quem in oculis ferebat, quemque summum, à DEO, bonum suum æstimabat, postquam vix paucos ultra decennium menses, maxima, quæ esse potest, concordia, mutuoque amore sincero, cum eo vixerat, dolendum funus parare habuit. Obierat enim ille supremum suum diem d. 24. Januarii inchoantis Anni MDCCXXVII. Sed nunc procul dubio majori gaudio fruitur, dum ei datum, ut cum illo vitam in coelesti beatitudine nunquam terminandam vivere possit, postquam lugens hic biennium propemodum in tristi viduitatis statu

con-

consumserat. Viduam autem interea talem se gessit, in quam conveniret Apostolica descriptio 1. Tim. V. 5. 10. utpote sperans in DEUM, & permanens in supplicationibus & precibus, noctu diuque, liberos suos enutrens, hospitalis, afflictis subministrans, & omne opus bonum affectata, procul remotis, quibus alia forsan summopere delectantur, ceu solitudinis remediis, Seculi vanitatibus quibuscunque. Ita igitur vixit beate nunc Defuncta ZEIDLERIA, ut sexui suo non solum ornamento maximo esset, verum etiam in omni ætate statuque prælustre se, quod alia imitentur, exemplum præberet, abs nemine, nisi vel improbitati vanitative mundanæ deditis, vel invidiæ affectu laborantibus, unquam culpata.

Supereff, ut illius etiam abitum ex hac vita commemoremus, quem antè actæ vitæ omnino respondentem accepimus Beatæ contigisse. Cujus equidem descriptionem pleniorē daturi essemus, ni ferias heic nobis fecisset docta manus Viri, qui tum ex frequentiori cum illâ familiarique conversatione piè Functam interiùs noverat, tum moribundæ frequens & sedulus adstiterit, cujus verba in dubium vocare religioni nobis ducimus. Quapropter illius relationem, bonâ cum Scriptoris, uti speramus, veniâ, vix uno alteroque verbo duntaxat addito, legendam heic integram inferemus.

Licet, sunt verba memoratæ Relationis, à multis retrò annis Beatæ Zeidlerie cum adversa conficiendum fuerit valetudine, (quam enim Hecticam dicunt febrem, eandem corripuisse, relatum nobis est) tamen castigationem hanc paternam à manibus DEI impositam sibi, summa cum patientia exosculata est, & indies ad beatam ex corporis sui ergastulo emigrationem sese præparavit, nihil potius habens, quam templum frequentare, coetuique Christiano, DEO publicè sacra facienti, interesse, corporalibus spiritualia, coelestiaque caducis præferendo, quem morem laudatissimum etiam ad vitæ suæ beatam analysin tenacissime conservavit. Nam octo ante dies ante lethalem morbum, licet tum jam frigoris sævitia ingrueret, non solum die Sabbathi in Sella Confessionali peccata sua confessa est, sed & insequenti Solis die publicè ad Sacram Coenam accessit, comitante eam piissimo privignarum Virginum trifolio. Plurimum Rever. ac Præcellentiss. DN. M. CHRIST. CRULLIO, Pastori Petrino optimè merito B. ZEIDLERI Successori, qui ipsi fuit à Confessionibus, dicenti, se, si corporis ejus imbecillitas templum adire haud permitteret, Ecclesiæ bona ipsi privatim communicare, promptum æque ac paratum esse, reposuit, quoad artus regere posset, se nolle sacrum fidelium Conventum negligere. Quinimo ipso die morbum exitialem præcedente, qui fuit Dominica I. Adventus, bis eadem frequentavit Petrinam, ingemiscens nobiscum ex Libro Liturgico: Lieber Herr Gott, weck uns auff, daß wir bereit seyn, wenn dein Sohn kommt &c. Et ecce! in illa ipsa nocte Ipse se adventurum indicavit, B. enim N. omnibus se membris torqueri maximisque doloribus affici professa fuit. Morbo subinde ingravescente, animæ solatium ex Spiritus Sancti pharmacopolio porrigentes non defuere, quod fecerunt tam Illustris aliqua Matrona cum filiabus suis Virginibus supra omnem laudem positis, sexusque sui verè ornamenti, quam præcipuè Verbi divini ad Templum Petro & Paulo sacrum Præcones, qui alternatim quasi eam visitaverunt. Prælaudatus Dominus Pastor CRULLIUS, in memoriam ipsi revocans cibum nuperrimè acceptum Sacramentalem, loquebatur de multivaria hujus Sacramenti utilitate, applicando eam animæ neci vicinæ. Moribunda ZEIDLERIA depromebat ipsa ex Verbi thesauro egregia dicta,

quorum maximam copiam innumeratò habebat, ad quæ spectant: Das ist je gewislich wahr, und ein theures werthes Wort ꝛc. Es ist in keinem andern Heyl, ist auch kein ander Nahme den Menschen gegeben ꝛc. *Et longè multa alia.* Item ex Cantilenis Ecclesiasticis selecta suspiria, quæ memoriæ impresserat, recitabat, v. g. Wenn ich einmahl soll scheiden, so scheide nicht von mir ꝛc. Ich hoff durchs Lammes Blut, werd ich schon überwinden ꝛc. So lang allhier ich leb' und wenn ich werd einschlafen geb ich, Gott Vater, dir das, was du hast erschaffen ꝛc. *Et ejusmodi plurima.* Cum aliquando Plurimum Rev. DN. CRULLIUS inculcasset Paulina illa: Christus der ist mein Leben, und Sterben ist mein Gewinn, atque, nos Christianos plura post mortem lucratueros, quam per eam amissuros esse, ostendisset, Ipsa, unser Wandel, inquebat, ist im Himmel, von dannen wir auch warten ꝛc. Cum tandem sensus officia sua denegare inciperent omnes, Benedictio Ipsi impertita fuit Sacerdotalis, quâ finitâ agonizanti adstantes inceperunt cantillare: **HERR JESU CHRISTE, MEINS LEBENS LICHT, MEIN HÖCHSTER TROST UND ZUVERSICHT ꝛc.** *Et haud diu post beatè & placide in Domino obdormivit.*

Id quod contigit Anni proximè præteriti Mensis Decembris eum finientis die 4. circa nonam antemeridianam, postquam Beata vivendo absolverat annos triginta sex, cum quinque mensium spatio, septem adhuc diebus connumeratis. Sit memoria justæ hujus in benedictionem! Fruatur anima illius, multis in hac vita miseriis afflictâ, æternis gaudiis coelestibus, ossaque requiescant in pace, usque ad beatam resurrectionem. Orphanorum misereatur misericordia divina, faxitque clementissime, sic adolescent, ut, quæ Parentes in hac vita mansit, pietatis atque virtutum gloria in illis quasi hæreditaria sit æstimanda. Familiarum splendidissimarum, quæ casum hunc acerbis lachrymis deplorant, Paracletus sit. Nobis autem singulis concedat, ut exitum conversationis ZEIDLERIE intuentes, fidem illius imitemur, adque beatam mortem, illius exemplo, maturè nos præparare discamus, ne nobis unquam eadem immatura veniat, *Senecæ*, hominis quidem gentilis, at Christianos nos informantis, monitum, *Lib. VI. Natural. Quest. Cap. 32.* sequentes: *Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: moriendum est! Omnibus ommissis, hoc unum meditare, ne mortis nomen reformides: effice mortem cogitatione tibi familiarem, ut, si ita sors tulerit, possis illi obviam ire.* Occasionem hujusmodi meditationibus præsentissimam nobis suppeditat hodiernus dies, quo exanimi ZEIDLERIE corpori ultima justa fiet. Quas igitur, piorum Christianorum corpora, quæ Spiritus sancti templa fuere, decente solennitate paratas, exequias ut, etiam post obitum virtutes defunctorum in pretio haberi contestaturi, frequentes ire haud gravemini, **CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI!** qua par est humanitate, Vos etiam atque etiam rogatos ac invitatos velim.

P. P. sub Sigillo Rector. Academ.


Anno MDCCXXIX. d. 14. Januarii.

Conventus instituetur in æde D. Petro quondam dicata,
hora I. Pomer.

☞ (☞) ☞

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



LBMV Schwerin 33
000 184 241





& ornatu matronalium virtutum exornatissimam, ANNAM
 Hinc *Proavus* Ei, superiori quidem in linea, fuit Præ-No-
 -fultiff. ac Prudentiff. Vir, DN. HENNINGUS GERDESIUS,
 Consul simulque Syndicus Gryphiswaldensium, de publico
 vitatis bono cum immortalis Nominis gloria longe optime
 is. Et *Proavia* ejusdem lineæ, mascularum virtutum MA-
 LISABETHA MEVIUSsen, immortalis nominis & famæ
 VID. MEVH, Regii Tribunalis, quod Wismariæ floret,
 Vice-Præfidis, germana Soror. In sequiori, per Aviam, li-
 -um Nostræ deprehendimus existisse Virum Præ-Nobiliff.
 , atque Excellentiff. DN. JOACHIMUM ERICHIUM, J. U. D.
 laudata Pomeranorum Univerfitate Prof. Publ. Celeberri-
 i conjugio Defunctæ *Proaviam* conciliaverat, virtutum pro-
 splendore non minus ac generis nobilitate coruscantem, MA-
 OSTENBÖSTELS.

splendida, ab utrâque parte, Familia prognasci dum piæ
 Matronæ contigerat, quis non conjiceret, optimam illi, unâ
 aine, indolem à tot virtutum laudibus conspicuis Progenito-
 rantatam fuisse? At quoniam ad bonum congenita vel natu-

l sola, quippe quam innumera in mundo mala
 ertere possunt, virtuosos efficere valet, nisi divina
 icitaque educatio: Hinc, qua erat prudentia, Ma-
 se natam gratiæ divinæ offerri ac commendari
 mque diei natalis sacratissimo Baptismi lavacro
 vit, quò, adoptata à Patre coelesti, salutis æter-
 sequendi jus nancisceretur, & omnium Ecclesiæ
 m gratiæ privilegiorum redderetur particeps,
 eno orbata coelestis æterni Patris tutelæ provi-
 retur. Crescentibus paulatim annis, eò majorem
 icitudinem impendebat, quò solet ardentior esse
 m affectus. Primam præcipuamque curam ad-
 a statim animo teneriori sincerus divini Numinis
 is instillaretur, id quod eum in Beata habuit ef-
 em vitam veræ pietatis aliis sese præbuerit imi-

Postmodum & moribus bonis sexum istum con-
 is eam commendanti humanitati ut assuefieret,
 tit, quò & hominum sibi animos conciliare fa-
 ri posset. Id quod Defuncta, quoadusque vixit,
 gratitudine agnovit, verum etiam deprædicavit,
 dem inde obtinuerat, quod ipsa personam suam
 divinâ ex voluntate vixit, statu decenter ac lau-
 erit. Verissimè quippè de eâ affirmare licet, ni-
 quæ vel Virginem, vel Uxorem, vel Viduam
 , illi defuisse. Nihil inveniri laudis, isti sexui
 qualibet ætatis suæ periodo vitæque statu quo-
 t ipsum.

præpollebat, virtutum nitor omnium in illam o-
 cunctorum ei conciliabat existimationem, & ma-
 alis præbebat. Quibus permotus Vir Summe Re-
 atque Ampliff. DN. JOANNES ZEIDLERUS,
 B S. S. Theol.

